

eola spe præmii, et animo complacendi alteri aliquem occidit, Farinacius, loc. cit. n. 130; Castro Palao, loc. cit. n. 34, ad fin.; Bajard. ad Clarum, § *Assassinum*, n. 7; Sperell. decis. 102, a n. 7, et communissima aliorum. Ratio est, quia de quidditate assassinii hodierni est, datio vel promissio.

136. *Etiam infidelem occidens assassinus esse potest.* — Major controversia inter doctores est, an pretio conductus committat assassinium, si occidat infidelem, Judæum v. g. Turcam, vel paganum? Negativam tenent plures, ut Covarruvias, lib. II, *Variar. resolut.* cap. xx, n. 10; Clar. § *Assassinum*, n. 2; Castro Palao, ubi supra n. 35, et alii; moventur c. 1, de *Homicid.* 6, ibi: « Quicumque quempiam christianorum. » Verum affirmativa videtur probabilior, quam tenet Farinacius in appendic. de *Immunit.* cap. viii, n. 120, ubi testatur de communi, Decian. *Tract. crimin.* lib. VI, cap. xxviii, § 4, n. 20; Pignat. tom. IX, consult. 43, n. 13, citans Bonac. tom. II, disp. 3, q. 7, pun. 6, n. 9; Delbene, et alios. Ratio est, tum quia fidelitas, et infidelitas ad assassinium se habent prorsus per accidens, cum malitia, et quidditas hujus criminis in hoc consistat, quod quis pretio temporali vitam hominis perdat; tum quia Bulla Gregoriana universaliter quemvis assassinum secuto effectu privat asylo sine distinctione fidelium, aut infidelium. Hinc sicut privatur asylo, qui proditorie occidit infidelem, prout etiam plures adversarii fatentur; ita etiam dici debet de assassino, cum non sit major ratio de illo, quam de isto. Nec obstat cit. c. 1, de *Homicidio*, in 6, quia dictum capitulum intelligi debet de assassinio in ordine ad penas ibidem specificatas: non item in ordine ad privationem immunitatis, utpote de qua ibidem nulla fit mentio. Et plane si illud capitulum etiam in ordine ad immunitatem foret attendendum, soli conducentes infidelem ad occidendum, non item conducti essent privati asylo, ut legenti textum patet.

137. *An sit assassinus, qui pretio conductus suum, vel conducentis occidit inimicum?* — Tandem notandum cum Farinacio in appendic. de *Immunitat.* q. 8, n. 232; Pignatell. tom. IX, consult. 43, n. 15; Castro Palao, loc. cit. n. 36; Ambros. de *Immunitat.* cap. vii, n. 10; Covarruvia, lib. II, *Variar. resolut.* cap. xx, n. 9, circa fin. et communem aliorum docere, quod pretio conductus, ut occidat aliquem, qui est inimicus ipsius

conducti, proprie non sit assassinus, bene vero, si est solius mandantis, seu conducentis inimicus, nisi conducens occisioni esset præsens: quia aiunt, in secundo, non item in primo casu incautum occidit, cum ab inimico quivis sibi cavere debeat. Verum hæc ratio (aliam non afferunt) non videtur convincens, quamvis enim ex ea sequatur, quod si conductus pretio, occidat proprium inimicum, non committat homicidium proditorium; tamen ex eadem probari non videtur, quod non committat assassinium, utpote cujus natura non in eo consistit, quod quis occidatur incautus, sed quod pretio conductus occidat, per dicta supra: adeo ut etiam assassinus revera sit, qui pretio conductus aliquem occidit, etsi non a tergo, nec ex insidiis, sed a facie, consequenter non incautum aggrediatur, et se defendentem occidat. Ea propter a communi recedere omnino luberet, si præcedentes haberem, præsertim cum sæpe contingere posset, quod qui suum inimicum alias non occidisset, nisi pretio conductus fuisset.

138. *Hæresis quando privet asylo?* — VII. Crimen exceptum asylo privans, est crimen hæresis: ita expresse textus Bullæ *Cum alias*, n. 82, allegatæ, ibi: « Vel hæresis rei. » Intellige, si ob ipsius hæresis crimen, non item ob alia crimina ad ecclesias confugiunt; prout jam diximus supra n. 80 et 81, ubi vide.

139. *Læsæ majestatis crimen in personam principis privatur asylo? et quando committitur?* — VIII. Crimen exceptum asylo privans est crimen « Læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis. » Ita verba formalia sæpe citatæ Bullæ Gregorianæ ubi quia requiritur, ut peccetur « in personam ipsiusmet principis: »

Quæritur III. *Quandonam quis dicatur committere crimen « læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis? »* Item quinam ad propositum nomine *Principis* veniant? Resp. I. Tunc committi, quando exercetur actio aliqua positiva, in ejusdem personæ damnum, vel offensam, v. g. percutiendo, vulnerando, carcerando, occidendo, aut hostiliter insequendo personam principis: item contra eam machinando, conjurando, hostibus tradendo, aut revelando, ut capiatur, aut tales actiones mandando, consulendo, auxilium et favorem præstando, etc. ita cum communi aliorum Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 7, § 6, n. 10.

140. *Nomine principum hic veniunt soli supremi in suo territorio superiorem non agnoscentes.* — Resp. II. Nomine *Principis* ad propositum veniunt, et intelliguntur illi soli, qui in suo territorio plenum jus obtinent, et quoad temporalia superiorem non agnoscunt. Farinacius, in appendice de *Immunit.* cap. iv, n. 185, citans Marcum Ital. de *Immunit.* lib. I, cap. v, § 7, n. 11, et seq.; Diana, part. I, tract. I, resolut. 6; Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 6, § 6, n. 2, cum communi aliorum. Ratio est, quia cum Bulla Gregoriana ex illa parte, qua privat certa crimina asylo, est odiosa, consequenter strictè interpretanda, arg. c. *Odia*, de *Reg. jur.* in 6, sicque non nisi de supremis principibus in suo territorio superiorem quoad temporalia non agnoscentibus intelligenda, Diana, part. I, tract. I, resolut. 6, præsertim cum hi soli in jure nomine *Principum* veniant, ut cum communi advertit Engel, h. t. n. 16.

141. *Enumerantur tales plures.* — Inferitur I. Quod nomine *principis* ad propositum ante omnes veniat summus Pontifex, utpote qui nec in temporalibus, nec in spiritualibus superiorem agnoscit. Ita omnes.

142. Inferitur II. Eodem nomine etiam venire Romani imperatores, reges Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Hungariæ, Angliæ, Portugalliæ, Poloniæ, Croatiae, Siciliæ, ac reliquos reges. Item S. R. I. electores, et principes. Item archiduces, ac duces Austriæ, Baviaræ, Sabaudiarum, Saxoniarum, Parmæ, Modenæ, capita reipublicæ Venetæ, Helvetiæ, Januensis, etc. Ratio est, quia hi omnes respective in suo territorio superiorem non agnoscunt, uti bene advertunt Marcus Ital., loc. cit. et Bonacina, loc. cit. n. 3, ac alii. Idem dic de marchionibus, comitibus illis, qui in suo territorio plenum jus habent, et superiorem non agnoscunt: non item de aliis principibus, comitibus, baronibus, etc. superiorem in suo territorio habentibus, et agnoscentibus. Doctores citati cum Barboisa, in c. 6. h. t.

143. *Inter quos juxta aliquos etiam sunt cardinales, et episcopi.* — Huc reduci, et *principis* nomine venire vult etiam cardinales, et episcopos, Peregr. de *Immunitat.* cap. ix, n. 5, quem citat, sed non sequitur Diana, part. I, tract. I, arg. c. *Felicitis*, 5. de *Pænis*, in 6, ubi offendentes cardinalem, rei criminis læsæ majestatis dicuntur. Ratio est, quia cardinales æquiparantur regibus, et sunt prin-

cipes Ecclesiæ Romanæ, vocanturque fratres Papæ, et cum eo unum corpus constituunt, ita ut offendentes aliquem ipsorum ipsum quoque Papam offendere, et propterea dicti criminis læsæ majestatis rei censeantur, arg. l. *Quisquis*, c. ad *Leg. Jul. majest.* quod idem cum proportionem de episcopis dicendum videtur.

144. *Negativa est probabilior.* — Verum Farinacius, in appendice de *Immunitat.* cap. xiv, n. 185, docet cardinales, et episcopos qua tales nomine *principis* ad propositum non venire, et hoc Bullæ conformius, atque probabilius videtur; quia licet sint, et vocentur principes Ecclesiæ Romanæ, tamen quia cardinales non sunt principes supremi, qui in suo territorio plenum jus habentes superiorem in temporalibus non agnoscunt, quod requiritur, ad hoc, ut quis sit reus criminis « læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis, » juxta sensum Bullæ Gregorianæ, uti patet ex dictis in conclusione, et communi doctorum. Nec obstat c. *Felicitis*, 5. de *Pænis*, in 6, quia licet ex eo probetur, offendentes cardinalem esse reum læsæ majestatis, tamen non probatur, esse ex hoc privatum asylo; quia non quodvis crimen læsæ majestatis privat asylo, sed illud tantum, quod committitur in personam ipsiusmet principis supremi, superiorem in suo territorio non habentis. Pariter non obstat, quod cum Papa unum corpus constituent; quia hoc solum est verum in sensu morali, non autem in physico, uti requiritur juxta dicenda infra n. 148, et seq.

145. *Nisi alias sint etiam principes temporales.* — Dicitur autem notanter, « qua tales, » quia si cardinales, aut episcopi habent etiam principatus temporales, in quibus plenum jus obtinent, et alium superiorem non habent, quales sunt vere omnes in Germania, utpote principes S. R. I. sine dubio nomine *principis* veniunt, et offendens talem privatur asylo.

146. *Neque veniunt nomine principis, uxores, filii, aut fratres regum, etc.* — Inferitur III. Nomine *Principis* ad propositum non venire uxorem, fratres, aut filios regum, aut supremorum principum, Farinacius, loc. cit.; Bonacina, loc. cit. n. 3; Diana, part. VI, resolut. 18, dicens ita docere omnes post Bullam Gregorii XIV scribentes, Hauldus, tom. VI, tract. I, n. 233, eoque teste Omnes. Ratio est, quæ in priori numero. Et ex hoc illato confirmatur etiam præcedens,

si enim juxta omnes doctores (ut dicit Diana, Haunoldus) filii, et fratres regum, ac principum supremorum, non veniant ad propositum nomine *Principis*, et offendentes aliquem illorum non priventur asylo, eo quod licet revera sint et dicantur principes, tamen hic et nunc non sint principes supremi; etiam cardinales et episcopi non veniant ad præsens nomine *Principis*, nec privabitur asylo offendens aliquem ipsorum, eo quod et ipsi licet sint et dicantur principes, tamen non sint supremi in suo territorio, superiorem in temporalibus non habentes.

147. *Neque eorum consilarii, aut ministri.* — Inferitur IV. Neque consiliarios, neque supremos ac intimos ministros, præsidēs, legatos, vice reges, etc. supremi principis, venire ad præsens nomine principis, consequenter offendentes aliquem eorum non privari immunitate asyli; Farinacius, loc. cit. n. 192; Diana, part. I, tract. I, resolut. 6 et 20. item part. I, tract. I, resolut. 18, ubi dicit, ita docere omnes post Bullam Gregorii XIV scribentes, et in specie citat Peregrinum de *Immunitat.* cap. ix. per totum, et Sylvium; Barbosa, in c. *Inter alia*. 6. h. t. n. 10; Lezana, §. *Immunitas*. n. 15. ac si uon omnes, certe communissima aliorum contra Curtelium, et Gambacurt. Ratio est jam sæpe allegata, quia nempe non sunt supremi principes superiorem in suo territorio non habentes.

148. *Solvitur instantia.* — Nec obstat I. *Quisquis*. 3. prin. c. de *Lege Jul. majestat.* ubi præfati consilarii ac ministri pars corporis principis vocantur, unumque corpus cum eo constituunt, et propterea offendentes aliquem ex illis, rei læsæ majestatis habentur: ibi: « Nam et ipsi pars corporis nostri sunt: » ob quod argumentum Haunoldus, loc. cit. opinionem Curtelii, et Gambacurt. probabilem appellat. Nam contra est, quod licet ex dicta lege probetur, offendentes talem, esse reos læsæ majestatis, non tamen probatur, eos exinde esse privatos asylo, cum non omnes læsæ majestatis rei sint privati hoc jure, sed tantum rei « in personam ipsiusmet principis, » uti jam dictum. Nec quidquam in contrarium probat ratio adducta, quod dicti ministri sint pars corporis principis, unumque corpus ac personam cum eo constituere, ac repræsentare censeantur; quia hoc tantum verificatur in sensu morali, et non in physico, in quo ta-

men loquitur et intelligenda venit Bulla Gregoriana, prout non tantum ex communi sensu doctorum et consuetudine legis optima interprete c. 8. de *Consuetud.* patet, sed etiam ex ipsa Bullæ dictione « ipsiusmet personæ principis » aperte liquet; dictio enim *ipse*, et multo magis *ipsimet* est personalissima, et demonstrativa personæ, summeque restrictiva ad personam, et personalitatem, ita ut ad aliam personam referri non possit, ut plurimis aliis citatis docet Barbosa, de *Diction.* dictione *Ipse*, ubi ad propositum plures affert decisiones Rotæ.

149. Et certe si in sensu morali sufficeret, quod quis sit, et dicatur pars corporis *principis*, unumque cum eo constituere corpus et personam, nemo magis veniret nomine *Principis*, quam uxor, et filii regum aut principum, cum teste ipsa Scriptura uxor dicatur *una caro cum viro*, ibi: *Erunt duo in carne una*: filius autem reputetur una persona cum patre per vulgaria juris: et tamen juxta unanimum post Bullam Gregorii XIV, scribentium uxor, et filii principis non veniunt nomine *principis*: unde mirandum sane, quod Haunoldus, loc. cit. ex illo fundamento, quia consilarii et ministri principis in sensu morali sunt pars corporis principis, unumque corpus cum eo constituunt, opinionem Gambacurtæ probabilem reputet, et tamen cum unanimitate aliorum absolute neget, uxorem et filios regum venire nomine *Principis*; cum tamen in his æque vel magis idem militet fundamentum, ut ex dictis patet. Nec valet paritas ab eo assumpta de cardinalibus; quia communis doctrina non tam est, quod offendentes talem, priventur asylo, quam quod sint rei læsæ majestatis, quod gratis conceditur, sed negatur, exinde hoc ipso aliquem privari immunitate, cum non physice, sed moraliter tantum committatur in personam ipsiusmet Papæ, quod non sufficit per dicta.

150. *Peccans contra statuum principis, aut contra statum principis, non caret asylo.* — Inferitur V. Non committi crimen læsæ majestatis exceptum privans asylo, si peccatur in statuam aut effigiem principis supremi: vel in statum aut provinciam principis excitando v. g. rebellionem; dummodo non fiat machinatio contra personam ipsiusmet principis supremi. Diana, part. VI, resolut. 18; citans unanimum post Bullam Gregorianam scribentium in specie Peregrinum, et Sylvium in supra, idem docet Farinacius, in

append. de *Immunit.* cap. XIV, n. 190; Bonacina, loc. cit. n. 5, et communis aliorum.

151. *Sicut nec extraneus, non subditus offendens ipsam personam principis.* — Sed quæres incidenter, an crimen læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis committant excessum non tantum subditi ipsius, sed etiam exteri? Resp. Negative quoad exteros, qui ratione originis, aut domicilii subditi non sunt. Farinacius, cit. cap. XIV, n. 151; Haunoldus, ubi supra n. 232; Ambrosin. de *Immunit.* cap. VI, n. 12; Bonacina, cit. tom. II, disp. 3, q. 7, punc. 7, § 6, n. 12, et communis aliorum, arg. Clem. *Pastoralis*. § *Rursus non est, de Sentent. et re jure*. ubi Pontifex declarat etiam ex illo capite a Roberto rege Siciliæ commissum non fuisse crimen læsæ majestatis in Henricum imperatorem, quod ei nec ratione originis, nec domicilii fuerit subjectus. Nec obstat, quod extraneus machinator contra personam principis fiat ei subditus ratione delicti, vi cujus cuivis sortitur forum, auth. *Si qua in provincia*. c. *Ubi de Crimin. agi oportet*, et c. fin. de *Foro competent.* Resp. enim talem per delictum fieri quidem aliquem subditum, sed antecedenter non fuisse, prout tamen requiritur ad crimen læsæ majestatis: unde licet talis puniri possit, ubi deliquit, non tamen privatur asylo.

152. *Propter alia crimina in bulla Gregoriana non excepta, etiam atrocissima nemo privatur asylo.* — Quæritur IV. Utrum etiam propter alia crimina in Bulla Gregorii XIV. non expressa, eis tamen æqualia, vel iisdem majora, enormia, et atrocissima quis privetur jure asyli? Resp. Negative Farinacius, in append. de *Immunit.* cap. XXII, n. 353 et 355; Guttierrez, *Pract. quest. civil.* lib. III, q. IV, n. 12, et seqq.; Fagnanus, in c. *Inter alia*. h. t. n. 36; Castro Palao, tract. II, disp. un. punc. 10. n. 4; Diana, part. I, tract. I, resolut. 2; Haunoldus, tom. VI, tract. I, n. 235, et communissima, ac ferme unanimes aliorum post dictam Bullam scribentium. Idque probatur I. ex receptissima illa regula: « Exceptio unius firmat regulam in contrarium, » l. *Quæsitum*. 12. § *Idem respondit*. 43. ff. de *Fund. instruct.* l. *Cum prætor*. 12. prin. ff. de *Judic.* et l. 4. § fin. ff. de *Penu. legat.* II. Probatur ex alia regula pariter universali, et communiter recepta; quod lex pœnalis ob identitatem, vel etiam majoris rationis non sit extendenda, arg. e.

Odia. et c. In pœnis. de Reg. jur. in 6. et l. *Factum cuique*. § *In pœnolibus*. ff. de *Reg. jur.* quia pœnæ casum proprium non excedunt, can. *Pœnæ*. dist. 1. de *Pœnit.* III. Probatur ex ipsis Bullæ verbis, quibus dicitur, quod Papa in materia immunitatis, cuncta « ad unam tantum formam reducere » intendat, non attenta « paritate, identitate, aut majoritate rationis. » IV. Probatur per oppositum decretum irritans, et clausulam « sublata aliter judicandi facultate. » Confirmatur ex conclusione n. 88. posita, et textu ibidem ex c. *Inter alia*. 6. h. t. allegato.

Inferitur, quod quamvis olim plura crimina de jure civili caruerint asylo, hodie tamen eodem gaudeant; eo quod in materia immunitatis non ad civilem, sed ecclesiasticam dispositionem attendendum sit, juxta unanimum, et dicenda infra.

153. *Debet tamen iudex ecclesiasticus delinquentes tales subinde custodire, donec Romam curia formetur.* — Notandum tamen cum Farinacio, in append. de *Immunit.* cap. XIV, n. 185. quod si in casu atrocis, vel atrocissimi criminis, v. g. ob occisionem cardinalis, læsæ majestatis in statum, aut provinciam, parricidium, etc. fugiat quis ad loca sacra, possit episcopus eum bene custoditum tenere, donec per illum, vel potestatem sæcularem Papa informetur, et ab eo extrahendi potestas petatur; potest enim, et etiam subinde solet Papa ob enormia crimina etiam non excepta extrahendi licentiam dare ad terrorem et exemplum aliorum.

154. *Quid juris de effugientibus carceres, et inde vel e manibus satellitum fugientibus ad loca sacra?* — Quæritur V. An etiam asylo gaudeant rei e carceribus, aut manibus satellitum fugientes, dum ducuntur ad carceres, vel inde ad supplicium? Resp. affirmative; dummodo non laborent crimine excepto. Farinacius in append. de *Immunit.* cap. XV; Ambrosin. de *Immunit.* cap. X, n. 11; Navarrus, in *Manual.* cap. XXV, n. 19; Guttierrez, *Pract. quest.*, lib. III, q. 6, n. 6. cum communi fundamentum est; quia nulla apparet ratio, nec juris dispositio, eos asylo privans. Accedit, quod favores ampliandi sint, et extendi, c. *Odia, de Reg. jur.* in 6. Confirmatur ex repetitis declarationibus cardinalium apud Jacob. Pignatell. tom. VI, consult. 4, ubi n. 78. sequentem ponit: « Fugiens ad ecclesiam, dum ducitur ad

supplicium, gaudet immunitate, in una Valisolitana, 19 maii 1627. et n. 107. Qui elapsus e manibus satellitum, confugit ad Ecclesiam, vel apprehendit parietem, aut seras valvarum gaudet immunitate, 3 martii 1604, et 18 iulii 1614, et 20 decemb. 1616, et n. 91. Condemnatus ad supplicium mortis, effringens carceres, non autem comedes, gaudet immunitate, in Romana, 11 februarii 1648. » Ex qua ultima habes, etiam cum compedibus fugientem ad loca sacra gaudere asylo.

155. *Item qui deductis per loca sacra ad supplicium. Quid circa crimina exceptu novissime post bullam Benedicti XIII, sit sentientum? Remissive allegando ipsam bullam.* — Extendit Diana, part. I, tract. I, resolut. 13. Conclusionem etiam ad casum, quo reus una cum satellite per vim intrat in ecclesiam. Verum huic obstat bina declaratio cardinalium apud Jacob. Pignatell. loc. cit. n. 88, ita sonans : « Confugiens in ecclesiam ligatus cum birruario non gaudet immunitate, in Florent. 6 novemb. 1634. » Pariter non gaudet immunitate reus ex eo, quod per locum ducatur ad supplicium, casu quo alia via e carceribus ad locum supplicii non sit : secus si alia existente via per illum duceretur, Diana, loc. cit. resolut. 30; Peregrinus, de Immunit. cap. v, n. 8. Vide de hoc etiam Farinacium, loc. cit.

Dices : Juxta novissimam Bullam Benedicti XIII, *Ex quo divina*, etc. editam Romæ 15 junii anno 1725, præter plures alios ibidem adductos excluduntur non solum homicidæ proditorii; sed etiam illimitate interficientes proximum suum quicumque, dummodo animo deliberato et præmeditato fiat : ergo plura dicta in his duobus paragraphis non videntur subsistere, utpote quæ similibus asylum concedunt. Respond. disting. consequens. plura in his duobus paragraphis dicta non videntur subsistere insistendo Bullæ Gregorianæ, ac illi temporis, quo hic auctor scripsit nego. Insistendo modernæ recentissimæ Bullæ Benedicti XIII, admitto consequentiam. Quoniam vero hæc constitutio pluribus forsitan adhuc ignota existit, eandem annectere consultum duxi.

« *Constitutio sanctissimi domini nostri Benedicti Papæ XIII.* — Qua sanct. mem. Gregorii Papæ XIV, litteræ apostolicæ, certa excipientes delicta, et casus, in quibus inquisiti laici ecclesiastica immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, et

ad alia etiam delicta, et casus extenduntur ac ampliantur : necnon curiis ecclesiasticæ forma, in eorundem inquisitorum extractione a locis immunibus observanda, præscribitur, cum aliis ordinationibus, et clausulis, ac derogationibus opportunis.

Benedictus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

« § 1. *Præclusio, pontificis mentem exprimens. Gregorii XIV, sensus in lata sua constitutione, circa reos, ad loca immunita confugientes.* — Ex quo, divina disponente clementia, ad supremum universi christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, ecclesiarum, sacrorumque locorum immunitatem sartam, tectam, inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti apostolici ministerii curas merito recenseri : diu, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa immunitas in pristinum venerationis, et reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus orbis catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa majorum nostrorum disciplina, et vetus canonicarum sanctionum norma præscripsit. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa constitutio, a fel. record. Gregorio Papa XIV, prædecessore Nostro, edita, quæ incipit *Cum alias* : qua quidem constitutione ibidem Gregorius prædecessor pro pastoralis zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, et indulta, a quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim a sancto Pio V, et Sixto etiam V, prædecessoribus itidem Nostris, tunc suis concessa aliquibus principibus, eorumque officialibus, et magistratibus extrahendi, et abducendi ab ecclesiis, aliisque locis immunibus, certorum criminum reos, et delinquentes, reformavit, moderatusque fuit : simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe quam ex confugio ad loca immunita sibi parabant nonnulla expressit, et explicavit crimina, et casus, in quibus laicos delinquentes ecclesiastica immunitate nequaquam gaudere voluit, et decrevit; ac insuper iudices constituit, qui in occurrentibus casibus, an

delictum esset, necne, in eadem Gregoriana constitutione exceptum, cognoscere, et declarare deberent; certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit, et inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in prædicta constitutione, anno Incarnationis Dominicæ 1591, nono kal. junii promulgata, uberius continetur.

« § II. *Controversiis dilucidandis super vera ipsius constitutionis intelligentia, non una dicitur fuisse sollicita Romanorum Pontificum cura. Gregoriana nunc ipsa constitutio cum primis confirmatur.* — Quoniam vero, post editam hujusmodi constitutionem, ob varias doctorum, eam interpretantium, sententias, et variam itidem curiarum ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter ecclesiastica, et sæcularia tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim pia mem. Clemens IX, Clemens X et Clemens XI, prædecessores similiter Nostri, de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis, non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, et declarandi methodum ut ejusdem Gregorii prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, curiis ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod Nos, omnino expedire arbitantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorundemque prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hæc Nostra perpetuo valitura constitutione in primis providam memorati Gregorii prædecessoris constitutionem cum omnibus, et singulis, in ea contentis, atque dispositis, amplissime confirmamus, approbamus, et innovamus, et quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, et delinquentibus, immunitatem ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, et declaramus. Præterea non absque gravi animi Nostri dolore animadvertentes, ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, sæpe, ac sæpius nonnulla gravia crimina perpetrari, quæ non

minus, quam illa in Gregoriana constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro apostolici muneris Nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

« § III. *Quidam Gregorianæ constitutionis casus declarantur.* — Cum itaque prædicta Gregoriana constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur, non levis autem inter doctores emerit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur : Nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, et grassator dici valeat; dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, et declaramus.

« § IV. *Nova delicta recensentur, quæ immunitatis beneficio non gaudere decernuntur.* — Insuper ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, et pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in ecclesiis, earumve cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in ecclesia, vel cœmeterio interficiunt stantes extra ecclesiam, vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant : necnon eos, qui stantes extra ecclesiam, aut cœmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam, vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant : ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, et abducunt : Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos, non illius tantum ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius ecclesiæ immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

« § V. Ad hæc in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis re-